16.

(3)

DISSERTATIO THEOLOGICA
JURIS ECCLESIASTICI MATRIMONIALIS

in legem divinam

Lev. XVIII. 6.

DE

NON APPROPINQUANDO AD CARNEM CARNIS SUÆ AD REVELANDAM NUDITATEM,

quam,

juvante Deo,

SUB PRÆSIDIO

CHRISTOPHORI MATTHÆI PFAFFII,

S. S. Theol. Doct. ac Professoris Primarii,
Univers. Tubing. Cancellarii Ecclesiæque Præpositi,
Abbatis Laureacensis,

ad d. Febr. 1732.

defendent

HENRICUS EBERHARDUS HIEMER, Rosenfeld.
WILHELM. JEREMIAS JACOB. CLESS, Schüzing.
CHRISTOPH. ULRICUS REUCHLIN, Alto-Twiel.
Philos. Magistri, S. S. Theol. Stud. & Ser. Stip.

TUBINGÆ impressit GEORGIUS FRIDERICUS PFLICKE.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



PRÆFATIO.



Um in decisionibus casuum de gradibus prohibitis & Theologi & JCti communiter recurrant ad regulam generalem Lev. XVIII. 6. nobisque nuper in Collegio privato casuali subnata fuerit occasio illam penitiùs evolvendi, placuit, cogitata nostra in chartam hanc paucis transferre. Ut per ea major argumento dubio & difficili accrescat lux, id quidem est, quod & optamus & intendimus. Saltem sentient sic oculati, ubi pedem figere liceat cum fundamento. Regula ista generalis hæc est:

Lev. XVIII. 6.

איש איש אל־כל־שאר בשרו לא תקרבו לגלות ערוה אני יהוה׃

Ad verbum:

Vir vir ad omnem carnem carnis suæ ne appropinquetis ad revelandam nuditatem. Ego Deus.

Sensus est:

Nemo cum proximâ suâ consanguineâ aut affini concumbito. Divinam legem violâsse se scito, qui contra fecerit.

Explicatio.

איש איש] *Vir Vir* h. e. unuſquiſque. Grammatici notant, nomen ſubſtantivum in ſingulari numero eodemque etiam caſu repetitum diſtributionem quoque denotare, ita ut alterum loco adjectivi diſtributivi ſit, quo careant Hebræi. Hanc in rem plurima exempla conglomeravere Buxtorffius in Theſauro grammatico L. 2. C. 2. p. 348. 349. Glaſſius in Grammaticâ ſacrâ L. 3. tr. 1. Can. 5. p. 19. 20. & Hillerus in inſtitut. linguæ ſanctæ P. 2. p. 32. ubi & inter alia has ipſas voces allegant. Rabbini exiſtimant, eandem vocem hîc ob emphaſin repeti, ut ſumma prorſus univerſalitas indigitetur, & ſub eâdem & gentes cum Judæis comprehendantur. Ita Doctores Talmudici:

תנו רבנן איש מה תל״ איש איש לרבות את הגויים שמוזהרין על העריות כישראל:
Tradunt Doctores noſtri: Vir *quid? Senſus eſt, dici* Vir Vir *ad comprehendendos gentiles, qui admonentur de inceſtibus, uti Iſraëlitæ.* Loca collegere Seldenus de J. N. & G. ſecundùm diſcipl. Ebr. L. 5. C. 11. p. 620. 621. & Meyerus in uxore Chriſtianâ de gradibus prohibitis C. 3. §. 2. ſqq. p. 14. ſqq. qui poſterior ibidem, uti & C. 14. §. 3. 4. p. 196. laudat quoque Abeneſram ad h. l. cujus verò mens hoc peculiare habet, quòd exiſtimavit, gentibus hos inceſtus ſaltem prohiberi in terrâ ſanctâ, ne illam polluant. Affert verò & idem Abeneſra rationem, cur איש איש hîc gentes quoque comprehendat, quoniam ſc. haud dicatur איש איש מבית ישראל *Vir Vir de domo Iſraëlis*, quemadmodum Lev. XVII. 3. 8. 10. 13. XX. 2. Ezech. XIV. 4. ſed איש איש *Vir Vir* ſimpliciter. Aſt precariam eſſe hanc probationem patet ex Lev. XV. 2. Num. V. 12. etſi alicubi & gentes voces iſtæ ſic junctæ comprehendant. Lev. XXIV. 15. Rabbinorum cogitata ſequuntur Interpretes Chriſtiani paſſim, ex hâc ipſâ voce repetitâ arguentes, leges haſce Lev. XVIII. occurrentes non tantùm eſſe Judæis datas, ſed & univerſum genus humanum obligare. Vide ſaltem Hochſtetteri Colleg. Pufendorf. p. 420. Jam verò, cùm omnes hæ leges naturales haud ſint, leges hîc *morales poſitivas* vel *poſitivas univerſales* fingere neceſſum fuit, Rabbinis hîc præeuntibus, qui, ubi inter leges naturales, quas מצוות השכליות *præcepta intellectualia*

lia h. e. naturâ intellectui inscripta & תורות השמעות *leges auditas* sive positivas distinguunt, has iterum in *universales*, ad quas referunt præcepta Noachica & ipsas quoque has leges matrimoniales Lev. XVIII. occurrentes, & *particulares*, Judæis solis datas, cærimoniales illas & forenses dividunt. Vide Seldeni librum citatum ferè per totum.) Constat, Viros cel. Thomasium & Buddeum, licet primùm leges hasce positivas universales magno conatu defenderent, postea tamen ob perspectas difficultates heic occurrentes recantâsse, illum quidem maximè in Observ. Hal. T. 6. obs. 27. p. 255. sqq. & in fundam. Juris N. & G. cap. procemiali §. 16. & p. 186. itemque in responso in causâ Gœzianâ dato alibique, hunc in instit. Theol. mor. P. 2. C. 1. §. 10. 11. defendentibus desertam ab illis sententiam Webero in diss. de legibus positivis universalibus Giessæ A. 1705. editâ, cui verò Thomasius in fund. J. N. & G. cap. procem. p. 10. edit. quartæ respondit, Hochstettero in Coll. Pufend. p. 135. sqq. 419. sqq. & de jure pœnarum p. 98. 99. Klausingio in diss. de legibus divinis positivis universalibus generatim spectatis Witteb. A. 1711. editâ, Mœllenhofio in duabus dissertationibus de legibus divinis positivis universalibus speciatim consideratis ibidem defensis, Grammlichio in vindiciis legum divinarum positivarum universalium Thomasio & Buddeo Altorfi A. 1716. oppositis, G. L. Menkenio in diss. de jure Principis Evangelici circa divortia th. 1. §. 11. sqq. p. 10. sqq. Ripero in diss. de lege ac legibus divinis in genere & de legibus divinis positivis universalibus in specie P. 3. p. 156. sqq. & eodem Klausingio, Theologo nunc Lipsiensi in diss. secundâ de nuptiis propinquorum jure divino prohibitis Andreæ Hojeri diagrammati de nuptiis propinquorum jure divino non prohibitis Lipsiæ A. 1726. oppositâ. Addendi sunt, qui contra easdem leges divinas positivas non sine magnâ veritatis specie depugnavere, Brücknerus in decis. matrim. P. 1. in procemio de differentiâ legum, non sanè refutatus neque à Thomasio in Jurispr. div. L. 1. C. 2. §. 119. in notâ, neque à Beyero in diss. de dispensatione in gradibus prohibitis §. 43. 44. J. M. Langius, Theologus tùm Altorfinus in diss. ad h. l. de nuptiis ob consanguinitatem controversis p. 20. sqq. ill. Bœhmerus vel potiùs Kayserus in diss. de Jure Principis Evangelici circa divortia C. 2. §. 2. sqq. p. 27. sqq. & cl. Canzius in usu Philosophiæ Leibnitianæ & Wolfianæ

ſianæ in Theologiâ p. 468. ſqq. Ita & leges matrimoniales Lev. XVIII. occurrentes, quæ non ſunt naturales, ante hanc promulgationem haud valuiſſe quidem, ſed vi illius poſitivas univerſales demùm evaſiſſe ſtatuit Stryckius de nullitate matrimonii §. 17. 18. particulares verò ſaltem fuiſſe & forenſes ſolis Judæis datas præter Thomam Aqu. Sanchezium, Gregor. de Valentia, Laymannum, Corn. à Lapide, Bellarminum aliosque Pontificios ex noſtris ſtatuerunt Lutherus, Melanchthon, Brentius aliique permulti apud Brücknerum l. c. C. 5. p. 266. ſqq. Brücknerus ipſe ex recentioribus, aliique JCti, uti & Lynckerus Vol. 1. reſp. 6. n. 24. 30. 41. & reſol. for. 637. f. 1170. & ex Theologis nuperis Niemejerus de Conjugiis prohibitis diſſ. 5. §. 24. 25. 26. & diſſ. 9. §. 15. ſqq. maximè §. 58. ſqq. qui hîc F. U. Calixtum de hæreſi & Schiſmate §. 170. p. 137. & in addendis p. 69. eandem ſententiam tenentem ſequitur. Jam verò ſaltem adverſa opinio ex vocibus איש איש *Vir vir*, uti vidimus, haud ſequitur. Atqui verò ſequitur, ais, cùm ſuadeat hoc 1. introitus Lev. XVIII. ubi dicitur: *Ego Dominus ſum, Deus veſter, & victuros eſſe in his ſtatutis, qui ea obſervaverint* comm. 2. 4. 5. 2. vox תועבות *abominationes*, quâ notentur tranſgreſſiones contra has leges factæ, 3. pœnæ capitales tranſgreſſoribus harum legum dictatæ Lev. XX. 11. ſqq. 4. naturalis ratio, ex quâ prohibitiones iſtæ deducantur Lev. XVIII. 6. 5. exterminium gentis Cananææ ob violatas *omnes* has leges factum comm. 24. ſqq. Si enim legibus hiſce obligatæ fuere gentes Cananææ, obſtrictum iis fuit quoque totum genus humanum, antequam Judæis fuiſſent ſolenniter præſcriptæ. 6. clauſula ibid. quâ dicitur, his tranſgreſſionibus *pollutam* fuiſſe terram cum incolis, id quod innuat crimina in ſe & ſuâ naturâ objectivè turpia, univerſaliter prohibita. Sed verò novæ hæ rationes ſunt, quæ nondum evincunt, & ex repetitâ voce איש איש hanc theſin fluere. Aſt & illæ ipſæ ſuis laborant difficultatibus. Prima. Jam enim & leges cærimoniales ſubinde adjectum illud habent: *Ego Jehova.* Vide Lev. XI. 44. XIX. 10. 25. XXIII. 22. 43. XXV. 55. Num. X. 10. XV. 41. Porrò ſine dubio & vita illis Judæis promiſſa eſt, qui præter leges naturales & cærimoniales & forenſes ſervaturi eſſent Ezech. XX. 11. cùm utrumque à Deo ipſis eſſet injunctum per mandata quoque pœnalia. Quo ipſo tamen non de vitâ ſaltem corporali, ſed

&

& æternâ hîc exiſtimaverim agi Rom. X. 5. Gal. III. 12. uti & ad h. l. Onkelos, conſentientibus Rabbinis apud Meyerum l. c. C. 1. §. 16. Vide & Niemejerum de conjugiis prohibitis diſſ. 9. §. 30. 31. Secunda. Scilicet vox תועבות *abominationes* & de legum particularium tranſgreſſionibus uſurpatur Deut. XIV. 3. XVII. 1. XXIV. 4. Tertia. Namque & pœnæ capitales ſubinde dictantur legum cærimonialium & forenſium tranſgreſſoribus. Vide Brücknerum l. c. C. 5. n. 16. p. 252. 253. Imò non omnibus tranſgreſſoribus Legum Lev. XVIII. & XX. occurrentium pœnæ capitales dictatæ ſunt. Vide Lev. XX. 17. ſqq. Neque & omnes iſtæ nuptiæ maledictionibus Deut. XXVII. 20. ſqq. elatis ſubjacent. Etſi & hoc ipſum non innuat, connubia illa jure univerſali haud prohibita adeóque diſpenſabilia eſſe. Quarta. Non enim ſtringunt omnes rationes naturales, ut jure naturæ vel ſaltem univerſali aliquid prohibitum eſſe cenſeatur. Poſſunt enim & particulares leges rationibus naturalibus inniti, convenientiam naturæ vel honeſtatis aut decori naturalis inſinuantibus. Ratio præcipuè de *carne carnis*, licet naturalis ſit, ita tamen comparata eſt, ut plurimùm reſtringenda veniat. Neque enim omnium conſanguineorum & affinium conjugium prohibitum eſt. Quinta. Si enim exterminio punita fuit gens Cananæa ob *omnium* harum legum tranſgreſſionem, cur ejuſmodi nuptias in ſuo populo mox toleravit, mox injunxit Deus? Injunxit quippe primùm, ut genus humanum ſe multiplicaret, id quod non fieri poterat, niſi per nuptias fratrum & ſororum, niſi & per nuptias Evæ cum Adamo, ex hujus carne deſumtæ adeóque vel maximè conſanguineæ, id quod quidem ſaltem ad זאת־הפעם *hanc vicem* reſtrictum fuit. Gen. II. 23. Ita & toleravit Deus nuptias Abrahami cum ſorore conſanguineâ Sarâ, in Jacobo nuptias cum duabus ſororibus ſimultaneas, in Amramo nuptias cum amitâ, ſaltem non punivit exterminio, imò oriri ex illis fecit Meſſiam, & ex poſterioribus Moſen & Aharonem. Licet enim ad eludendum nodum dici poſſit ratione Abrahami, vocem אחות non ſemper *ſororem* in ſtricto ſenſu ſignificare, ſed & neptem ex illâ vel fratre, vel comprivignam, vel agnatam, ſed & ſororem vel neptem adoptatam, dicitur enim Sara Thærachi, qui fuit Abrahami Pater, nurus, & ratione Amrami, vocem דודה ſignificare quoque poſſe patruelem vel conſobrinam, non ſaltem amitam, cætera

 tamen

tamen exempla ſubſiſtunt. Si dixeris, *diſpenſâſſe* Deum, non fingenda, ſed probanda diſpenſatio eſt, quam in connubio fratrûm & ſororum, quo primitùs propagari genus humanum neceſſum fuit, factam ſtatim eſſe haud probabile eſt, quam & in Jacobo, ſanctiſſimo Patriarchâ, inceſtum jam conſummatum purgâſſe itidem haud probabile eſt. Nec dici quoque poteſt, Deum in Jacobo *tolerâſſe inceſtum* atque ex inceſtu, licet remoto, voluiſſe, ut naſceretur Meſſias? Hinc minore cum difficultate, qui connubia iſta ante legem hanc Judæis latam putant fuiſſe licita, aſſerere videntur, ea, quæ Lev. XVIII. 24. 26. 27. dicuntur, ſpectare ſaltem prohibitiones proximè præcedentes, vel & reliquas quoque ex Jure naturæ fluentes. Talia quippe ſunt prædicata, qualia permittuntur eſſe à ſuis ſubjectis, & à potiori fit denominatio. Et quis diceret, ob concubitum cum uxore, quæ menſtrua patitur, gentes fuiſſe tàm ſeverè punitas? Cærimonialis illa lex eſt, ut patet ex Lev. XV. 19. ſqq. Jam &, ſi verba iſta l. c. in omni ſuâ univerſalitate ſint ſumenda, principaliter tamen ſpectarent ſaltem concubitus jure naturæ prohibitos, acceſſoriè tantùm reliquos, qui decorum ſaltem naturæ & honeſtatem publicam lædunt, ſi frequententur. Poſſunt enim ſic dici punitæ gentes tàm laſcivæ, quæ omnem adeò pudorem depoſuerint, ut non ſaltem connubia aliâs licita, ſed, ſi frequententur, confuſionem & ſcandalum haud leve paritura, frequentaverint ſpurciſque etiam congreſſibus inhiaverint, ſed & inceſtibus jus naturæ violantibus & nefandis contra naturam criminibus ſeſe contaminaverint. Itaque, ajunt, verba iſta generalia de *omnibus* tranſgreſſionibus *ſimul ſumtis*, non *ſingulis* intelligenda eſſe. Addunt &, nullas leges univerſales divina eaſque poſitivas ſtatui poſſe, quarum promulgatio & quidem continuata doceri non poſſit, cùm nulla lex poſitiva obliget, niſi promulgata. Neque etiam ſequi, leges, quæ Cananæos obligaverint, iiſque fuerint datæ, datas & eſſe toti generi humano omneſque homines obligare, cùm à particulari ad univerſale haud valeat conſequentia. Imò nec & hoc ſequi, leges poſitivas univerſales V. T. etiam in N. T. ſtringere, cùm dentur ejuſmodi ſecundùm Patronos hujus ſententiæ, quæ in N. T. abrogatæ ſint. Neque enim dici poſſe, leges iſtas matrimoniales in N. quoque T. repetitas eſſe. Quod enim concernat Herodis conjugium cum Herodiade fratris ſui Phi-

Philippi uxore à Johanne reprehenſum, eſſe hunc adulterii caſum, Joſepho narrante, quòd Herodias relicto Marito proprio adhùc vivente fratri ejus Herodi nupſerit, uxorem propriam, Regis Arabum Aretæ filiam, illegitimè repudianti, legibuſque forenſibus Judaicis tùm adhùc valentibus & nonniſi cum exitio Reipublicæ Judaicæ abrogandis obſtricto, contra quas, ſi & Philippus fuiſſet defunctus & uxor quoque propria defuncta, tamen peccaturus fuiſſet Herodes, cùm Herodias Philippo Salomen pepererit, Saltatricem iſtam, cujus meminere Evangeliſtæ. Conjugium verò cum novercâ, quod Paulus 1. Cor. V. 1. tantopere abominetur, militare contra Jus naturæ. Denique ajunt, vel ex eo patere, quod leges hæ particulares ſint, quòd חקות & משפטים Lev. XVIII. 4. vocentur. Illo nomine leges *cærimoniales*, hoc *forenſes* denotari. Aſt, ut hoc unicum ſaltem tangamus, quod poſtremo loco hìc dicitur, nullius momenti eſt, tùm, quòd pleræque leges Lev. XVIII. occurrentes juris naturæ ſunt, tùm, quòd voces iſtæ aliâs quoque ad leges naturales & Decalogum applicantur. Deut. IV. 1. V. 1. Vide tamen Niemejerum de Conjug. prohibitis diſſ. 9. §. 60. ſqq. Unum reſtat idque præcipuum, quod monemus, & quod à nemine hactenùs in hâc quæſtione decîdenda obſervatum legimus. Tota res vel tandem quoad univerſalitatem legum harum matrimonialium redit ad Lev. XVIII. 24. 26. 27. ubi: *Ne polluamini IN OMNIBUS iſtis, quia IN OMNIBUS iſtis pollutæ fuere gentes, quas coram vobis ejiciam. NE faciatis ex OMNIBUS abominationibus illis. Nam OMNES abominationes iſtas fecere Viri terræ, quæ coram vobis eſt & polluta eſt terra.* Difficultas omnis, uti vidimus, jacet in voce OMNIS, quæ emphaticè quater repetitur. Sed conſtat, Ebræam vocem כל *omnis* non deſignare ſemper univerſalitatem *abſolutam*, ſed ſæpiſſimè ſaltem univerſalitatem *reſtrictam* & *accommodam*, imò ſæpiùs ſaltem idem eſſe ac *plerique* ac *multi.* Vide exempla. Gen. XXIV. 10. coll. 53. XLI. 48. 57. Ex. IX. 6. 25. XX. 10. coll. Lev. XXIII. 7. 8. Num. XXVIII. 18. Ex. XXXII. 3. coll. 1. Cor. X. 7. Ex. XXXII. 26. 2. Sam. XVI. 22. XVII. 14. 1. Reg. X. 24. 2. Reg. VIII. 9. 1. Chr. XIV. 17. Pſal. XXII. 8. XLII. 8. LXXII. 11. CXVIII. 10. Jeſ. II. 2. coll. 3. XXIII. 17. Jer. IX. 26. XXVI. 9. Danj. II. 38. 39. VI. 26. Hoſ. VII. 4. Joël III. 1. Zeph.

II.

II. 14. Eandem ſignificationem habet & vox *πᾶς omnis* in N. T. Matth. III. 5. IV. 23. 35. X. 1. 22. XVII. 11. coll. Luc. I. 16. Matth. XXI. 26. XXIV. 9. Marc. I. 5. IX. 23. XIII. 13. Luc. VI. 26. XI. 42. XV. 1. XXI. 17. Joh. III. 26. X. 8. Actor. II. 5. 17. X. 12. 1. Cor. IX. 19. 22. X. 33. 2. Cor. IV. 8. Phil. II. 21. IV. 13. Col. I. 23. 28. 2. Theſſ. II. 9. 1. Tim. II. 8. 2. Tim. III. 9. IV. 16. Ebr. VI. 16. XIII. 4. Jac. III. 7. Imò nec in ipſo hoc loco noſtro, ubi dicitur כל־שאר בשרו *omnis caro carnis ſuæ*, vox כל *omnis* omnimodam univerſalitatem infert, uti mox videbimus. Loca conglomeravit Glaſſius in Rhetoricâ ſacrâ Tr. 1. C. 14. p. 435. ſqq. ubi agit de ſynecdoche generis, quæ heic obtinet. Jam verò, ſi vox כל etiam deſignet *pleròſque* vel ſaltem *multos*, cùm & nihil ſit, quod nos cogat, hanc vocem in ſummâ iſtâ univerſalitate heic capere, cùm ſic & liberentur Patriarchæ ſancti ab inceſtibus, cùm ſic ſtatuendæ non ſint leges matrimoniales poſitivæ univerſales, quæ tantis difficultatibus laborant, congruum forſan fuerit, iſtam vocis כל interpretationem ſynecdochicam, quæ indolem linguæ ſanctæ ſapit & in illâ quidem eleganter ſic ponitur, hîc admittere. Quo facto, cadit argumentum aliâs vix refutabile. Neque enim & ſexta ratio ſtringit, cùm & impuritatibus ſaltem Leviticis alibi dicatur pollui terra, idque, quod in ſuâ naturâ turpe eſt, lege naturæ ſit prohibitum omne, non lege poſitivâ univerſali. Sed, deficiente Legiſlatoris divini interpretatione authenticâ, nîl à nobis per interpretationem doctrinalem deciſum volumus. Vide & Inſtit. Theol. noſtras app. II. de conjugio p. 750. 751. Sed quid excurrimus? Aliam adhùc ſed otioſam quæſtionem addunt Doctores Judæi, num, quia dicitur איש איש *Vir Vir*, prohibitio hæc ſolos Viros, non fœminas tangat? Statuit hoc R. Joſeph, Karæus, cui tamen & Karæi alii, non ſine manifeſtâ ratione contradixere, uti videre eſt apud Meyerum l. c. §. 3. p. 15. Prohibitiones quippe nuptiarum ex naturâ rei ſunt reciprocæ, &, ſi Titius prohibetur, Cajam in uxorem ducere, nec Caja Titio nubere poteſt. Itaque ergo in voce repetitâ איש איש ſynecdoche habetur ſpeciei pro genere. Vir enim eſt pro homine. Vide inſtar omnium Gerhardum de conjugio §. 279. Adde tamen & Marckium in Sylloge diſſ. ad V. T. exerc. 9. ad h. l. §. 3. ſqq. p. 222. ſqq.

אל־כל־שאר בשרו] *ad omnem carnem carnis suæ.* Ita ad verbum. Jam quæritur, quid sit שאר & quid sit בשר, quam utramque vocem per *carnem* vertimus. Certè שאר *caro* est. Ita sumitur Ps. LXXIII. 26. LXXVIII. 20. 27. Jer. LI. 35. Mich. III. 2. 3. Prov. XI. 17. nisi in postremo loco propinquos indigitet. Sumitur & pro corpore Prov. V. 11. itemque pro alimento Ex. XXI. 10. Maximè verò innuit consanguinitatem vel remotam Lev. XXV. 49. Num. XXVII. 11. ubi in priore loco per שארם non possunt intelligi vel filii aut nepotes ex fratre, vel patruus magnus, uti putat Beyerus in diss. de dispensatione in gradibus prohibitis §. 80. cùm, uti ipse sibi hunc scrupulum format, patruelis antea sit mentio facta adeoque persona remotior sit intelligenda, vel proximam, imò & affinitatem proximam Lev. XVIII. 12. 13. 17. XX. 19. XXI. 2. Nolim vertere *reliquum* vel *reliquias*, uti quidam post Abarbenelem, qui שאר putat idem esse ac שארית. Nulla quippe adparet solida ratio, cur *caro* dicatur *reliquiæ*, Forstero licet putante, ita illam dici, quia sit reliqua pars hominis post animam, & Gussetio aliud quid fingente. Unde nec derivaverim vocem hanc à radice שאר *reliquum fuit.* Nec enim dicitur שְׁאָר, licet hæc vox & propinquum significare videatur Jes. XIV. 22. sed שְׁאֵר vel in statu regiminis שְׁאֵר, ut derivanda potius sit juxta præstantissimum Lexicographum nostratem Rümelinum à radice שור *aspexit.* Sola enim *caro* est, quæ spectabilis & visibilis est in homine. Anima aspici nescit. Vide Lexicon ipsius Biblicum p. 829. Ita & בשר *caro* sæpiùs propinquitatem eandem indigitat, sive remotissimam, quâ omnes homines sunt ejusdem carnis Jes. LVIII. 7. sive remotam, quâ juncti sunt ejusdem nationis cives 2. Sam. V. 1. XIX. 13. Rom. IV. 1. IX. 3. XI. 14. sive propiorem Gen. XXIX. 14. XXXVII. 27. Jud. IX. 2. De marito maximè & uxore dicitur, & *duo erunt* לבשר אחד *in unam carnem* Gen. II. 24. Matth. XIX. 5. Eph. V. 31. Id quod & affirmatur de scortatore & scorto 1. Cor. VI. 16. Judæi in Talmude contendunt, verbis hisce interdici utrique sexui humano *carnis* seu speciei *diversæ* coitum, adeóque bestialitatem. Mox fingunt, primum hominem fuisse androgynum, deinceps verò in marem & fœminam separatum, hinc φιλίαν istam ortam. Jam & caussantur, *carnem unam* intelligendam de prole, quæ ex duobus, marito & uxore nascatur. Augustinus putat, digitum intendi *ad originem fœminæ,*

quæ de masculi latere creata sit. Gen. II. 23. Vide Seldenum l. c. L. 5. C. 2. p. 563. Aſt de marito & uxore dici, quòd fiant *una caro*, patet ad oculum ex Matth. XIX. 6. id quod non ſanè de conjunctione animorum 1. Sam. XVIII. 3. Act. IV. 32. ſed de conjunctione corporum & copula carnali explicandum eſt, cujus, uti & liberorum, quos procreant, & quorum ſunt *unus* fons, radix, origo & ſtirps, intuitu *quaſi una caro* reputantur, uti & Eccleſia vocatur *unum corpus morale*, ens per aggregationem. Hinc & Karæi vetuſtiores ex Judæis maritum & uxorem גוף אחד *unum corpus* efficere arbitrati ex eo id quoque probavere, quòd e. g. *nuditas uxoris Patris* vocetur ipſius *Patris nuditas*, uti refert Seldenus in uxore Ebraicâ L. 1. C. 3. ſub finem, qui & addit, illos à recentioribus Karæis eapropter vocatos fuiſſe מרכיבים aut בעלי הרכוב *Magiſtros inſerentes*, quoniam conjugum perſonam alteram in alterius ſic inſeri ſeu utramque in unicam conflari ſtatuerint. Num verò hæc verba *& erunt in unam carnem* contra polygamiam pugnent, vide diſputantes ex unâ parte Theoph. Alethæum & Athanaſ. Vincentium in polyg. triumph. th. 28. p. 168. ſqq. Daphnæum Arcuarium in der Betrachtung des Ehſtandes P. 2. C. 4. §. 13. ſqq. p. 73. ſqq. Brücknerum l. c. C. 13. n. 52. 53. & Willenbergium in præſid. Juris div. de polyg. ſim. p. 37. 38. ex alterâ parte Siricium in uxore unâ p. 105. ſqq. Muſæum de conjugio th. 48. ſqq. 62. & de polygamiâ contra Alethæum §. 22. Meyerum in uxore Chriſtianâ diſſ. 1. ſect. 1. C. 8. p. 74. ſqq. Weickmannum in juſtitiâ cauſæ de polyg. ſimult. p. 96. ſqq. & Lütkenium von der Polygamie p. 70. ſqq. Hiſce circa ſignificationem vocum prænotatis, quæritur jam, quid per *omnem carnem carnis* h. l. ſit intelligendum. Clarum eſt, ad omnes vel conſanguinitate vel affinitate junctos, *caro carnis* enim hos per enallagen abſtracti cum concreto ſignificat, hanc legem non trahi ſine abſurditate poſſe. Exceſſere heic Karæi, qui שארים & שארי שארים ultra, quàm fas eſt, multiplicârunt. Vide Seldenum l. c. L. 1. C. 3. ſqq. & Meyerum l. c. C. 11. Excedunt & hîc Pontificii, de quibus ita Chemnitius in locis Theologicis P. 3. de conjugio f. 207. *Quam ſententiam* ſc. quòd nemo ad carnem carnis ſuæ accedere debeat, *Pontifices quidam malè intellexerunt, ab omnibus conſanguineis, quouſque cognatio cognoſci poteſt, abſtinendum. Sed*, addit, *emphaſis vocabulorum Hebraicorum oſten-*

di

dit, prohiberi, ne quis ducat propinquam, quæ proximè carni suæ appropinquet, vel prohiberi carnem carnis suæ, hoc est, quæ vel ex meâ carne propagata est, vel ex cujus carne ego propagatus sum, vel quæ mecum ex eâdem carne propagata est. Etsi enim voces istæ, quas explicamus, sensum quoque latissimum fundere aptæ sint, & prohibitio matrimoniorum usque ad quartum gradum, quæ in Jure canonico exstat, colorem hinc trahere aliquem possit, facile tamen apparet, restringendas esse istas ad prohibitiones proximè insequentes, & universalitatem legis non esse *absolutam* sed *accommodam.* Vide Seldenum de J. N. & G. sec. disc. Ebr. L. 4. C. 11. p. 632. sqq. & Musæum in thes. theol. de Conjugio §. *96.* Certè enim aliâs & ad quartum & ultra quartum consanguinitatis & affinitatis gradum prohibendæ essent nuptiæ, id quod *ἄτοπον* est. Jam & notanter *caro carnis* dicitur, vocibus junctis, ut propinquitas carnis proximior indigitetur & gradus consanguinitatis & affinitatis proximi. Ita *caro mea* est uxor, cujus *carnem* e. g. matrem vel sororem ducere non possum. Ita *caro mea* est Pater, cujus *carnem* e. g. uxorem, novercam meam, vel sororem iterum mihi copulare haud possum. Itaque prohibetur saltem *caro carnis*, non ea, quæ *carnis meæ carnis caro* est. Indigitatur autem, quod jam innuere cœpimus & porrò notamus, vocibus hisce non saltem *consanguinitas*, sed & *affinitas*, utraque *proxima*, cùm stylo Scripturæ S. maritus & uxor per copulam fiant *una caro* & regula ista generalis Lev. XVIII. *6.* etiam ad gradus affinitatis hoc capite prohibitos applicetur. Jam verò contradicentes hìc habemus JCtos doctissimos, qui putant, ex consanguineis saltem vocari *carnem carnis* consanguineos in lineâ ascendente & descendente, & fratres atque sorores in lineâ collaterali, alios nullos, nullosque planè affines, id quod & verbis Chemnitii supra datis probare contendunt. Primaria ratio est, quod in prohibitionibus affinitatis nunquàm dicatur, quia *tua caro* est, sed, quia est *nuditas Patris tui* comm. 8. quia est דודתך *patrui tui uxor* comm. 15. quia est *nuditas fratris tui* comm. 16. Addunt, maritum quidem & uxorem esse *unam carnem* sed saltem moraliter, non physicè, & inter se, non quoad tertium, hinc & cognatos unius conjugis non esse cognatos alterius. Ita post Arcudium de concordiâ Eccl. Occ. & Or. in admin. sacr. L. 7. C. 31. p. 469. Lynckerus in Cons. & resp.

prior. resp. 6. n. 21. sqq. f. 71. 72. itemque n. 91. sqq. f. 78. & in resolut. for. 409. & 637. p. 716. 1170. Donauerus in Consf. 49. n. 39. J. J. Müllerus in dem Dispensations-Rechte in verbotenen Ehen L. 1. C. 4. §. 1. 4. p. 26. 28. 29. & vel maximè Brücknerus l. c. C. 5. n. 40. sqq. Sed salva res est. Jam enim primò pater, filius, frater non sunt *caro carnis meæ*, sed sunt *caro mea*, ast patruus est *caro carnis meæ*, sic & matertera. Secundò vox בשר *caro*, cùm dicatur de uxore, affinitatem sine dubio fundat. Tertiò שארה *propinquitas*, quæ à voce שְׁאֵר descendit, Lev. XVIII. 17. de affinibus dicitur, utpote de privignâ & privigni & privignæ filiâ, quæ personæ eapropter prohibentur, quia sunt *caro carnis meæ*, h. e. uxoris. Licet enim, quod quarto loco notamus, uxoris mei proximi consanguinei non sint *caro mea*, quia uxor est *caro mea*, tamen sunt *caro* uxoris h. e. *carnis meæ* adeóque mei affines. Vide Gerhardum de conjugio §. 258. Quinto nec prohibitiones consanguinearum hanc semper rationem adjectam habent, *quia caro tua* vel *caro carnis tuæ est*, sed tantùm comm. 12. ubi amita dicitur *caro Patris* & comm. 13. ubi matertera dicitur *caro matris*. Sexto nec Chemnitii ista plena sententia est, quæ in citatis verbis exprimitur, addenda enim & sunt sequentia, ubi: *Hinc & judicium sumi potest de affinitate, quatenus etiam in illâ nuptiæ sunt prohibitæ. Vir & uxor sunt una caro. Ergo utrique est* שאר *h. e. habet reliquias suæ carnis in Conjugis cognatis. Et illa affinium propinquitas ipsi est prohibita.* Vide saltem Musæum de conjugio §. 69. sqq. Buddeum in Instit. Theol. mor. p. 560. Niemejerum in diss. 2. de conjugiis prohibitis §. 15. & Marckium l. c. §. 6. p. 226. sqq. Succedit nova quæstio: num ex duabus hisce vocibus כל־שאר בשר *omnis caro carnis* probari possit, quòd Lev. XVIII. non saltem expressæ personæ sed & pares gradus vi interpretationis extensivæ prohibeantur? Sunt, qui prius tenent. Ita, ut taceamus jam Bellarminum & Arcudium, olim Lutherus, Georgius, Princeps Anhaltinus, Bucerus, Brentius, ita Christoph. Arnoldus, Mauserus, Fichardus, Wesenbecius, Hornejus, Richterus, ita & Grotius, Lynckerus ll. cc. & Müllerus l. c. L. 1. C. 4. §. 2. sqq. p. 26. sqq. ita & Brücknerus l. c. C. 6. qui & h. l. n. 3. 4. p. 305. 306. rectè observat, Lutherum sententiam suam non mutavisse, quæ & Stryckii observatio in diss. de nullitate matrimonii §. 20. ita Facultates va-

riæ,

riæ & Theologicæ & Juridicæ, Halenſis maxime, ita & Conſiſtoria varia, quorum præjudicia referunt idem Brücknerus & Stryckius, qui poſterior & in notis ad Brunnemanni Jus eccleſ. L. 2. C. 16. §. 21. ſqq. conferendus eſt, & probabiliorem hanc ſententiam de perſonis expreſſis ſaltem prohibitis eſſe ait. Ita ferè & ex recentioribus Theologis noſtris Spenerus in reſp. Theol. lat. P. 2. C. 4. p. 105. & J. M. Langius in diſſ. de nuptiis ad Lev. XVIII. 6. §. 25. 26. p. 27. 28. maximè Niemejerus in diſſ. 5. de Conjugiis prohibitis §. 26. ſqq. & diſſ. 10. §. 6. ſqq. qui & idem de Luthero obſervat. Jam & noviſſimè Auguſtinus Leyſerus in medit. ad Pandectas Vol. 5. p. 35. ſqq. huic ſententiæ acceſſit. Communior verò & paſſim recepta ſententia eſt, non ſaltem perſonas Lev. XVIII. expreſſas, ſed pares quoque gradus prohibitos eſſe. Ad hanc probandam ante omnia ad textum noſtrum provocatur, quem putant regulam generalem continere, ad quam exigenda veniant matrimonia. Argumentum eo ſpecioſius eſt, quòd ratio, ex quâ divinus Legiſlator prohibitiones matrimoniales elicit & naturalis & generalis eſt. Quæcunque eſt *caro carnis meæ*, illius concubitus, illius nuptiæ ſunto prohibitæ. Jam ſubſumendæ heic ſunt perſonæ quoque non expreſſæ. *Caro mea* eſt Pater, mater, omneſque aſcendentes; itemque filius & filia omneſque deſcendentes in lineâ rectâ, frater quoque & ſoror juxta comma 12. 13. Ita & uxor *caro mea* eſt Gen. II. 23. 24. Jam *carnis meæ caro* eſt vitricus & noverca omneſque horum majores & alteri conjuges, cum quibus fiunt *una caro*, quemadmodum & privignus & privigna, omneſque horum deſcendentes & alteri Conjuges, rurſus ſocer & ſocrus, horumque aſcendentes, gener & nurus horumque deſcendentes & conjuges, patruus, avunculus eorumque majores, imò & uxores, quæ cum ipſis fiunt una caro, amita, matertera & harum quoque majores & mariti, qui & cum illis *unam carnem* faciunt, nepos & neptis ex fratre vel ſorore horumque deſcendentes omnes eorumque conjuges, levir, fratria, uxoris ſoror, ſororis maritus. Confer Weberi comment. de eo, quod juſtum eſt circa cognationes in nuptiis p. 13. ſqq. Et ſic quidem non primum ſaltem ſed & ſecundum affinitatis genus in noſtro textu prohibitum fuerit, cùm &, ubi liberorum nuptiæ & remotior gradus prohibitus eſt, parentum quoque nuptiæ & propior gradus prohibitus

 ſit.

ſit. Ita & comprivignorum nuptiæ prohibitæ videri poſſint, ſi noverca patri pariat. Hic enim partus *mea caro* eſt, utpote ſoror conſanguinea, & comprivigna hujus *caro* eâdem ratione, per conſequens hæc eſt *carnis meæ caro* adeoque mihi prohibita. Nec diffitendum eſt, rationes Bohlii, quem & ſecutus eſt Thomaſius, contra conjugium comprivignorum ex Lev. XVIII. 9. 11. petitas; præcipuè illam ex voce מולדת depromtam, haud eſſe nihili. Jam cùm, omnes iſtæ perſonæ ſupra nominatæ & indigitatæ Lev. XVIII. non exprimantur & tamen ſub *carne* & *carne carnis* latitent, ſequi videtur, non perſonas ſaltem expreſſas ſed & pares gradus eſſe prohibitos. Unde, ſi Patri haud licet, ducere filiam, nec avo licet ducere neptem, ſi novercam, ſi nurum haud ducere licet, ergo nec ſocrum, ſi patrui viduam haud ducere licet, ergo nec avunculi & ſic deinceps. Si conceſſæ eſſent hæ nuptiæ non expreſſæ, quarum tot dari poſſunt exempla, cur poneretur regula iſta generalis, ſub quâ continentur? Rectè itaque vi hujus regulæ generalis dici putant, in jure divino nuptias eſſe prohibitas in lineâ rectâ in infinitum, in lineâ collaterali æquali in gradu primo & inæquali in gradu ſecundo tùm in conſanguinitate, tùm & affinitate. Hic verò ponendum eſſe terminum, cùm ſaltem *caro carnis meæ*, non *carnis meæ carnis caro* mihi ſit prohibita. Ita enim licitum eſſe e. g. ſororis ſuæ mariti ſororem ducere; cùm ſororis, utpote *carnis meæ*, maritus quidem ſit *caro carnis meæ*, ſed non ipſius ſoror, quæ ſaltem *carnis meæ carnis caro* eſt. Addunt, qui hanc ſententiam tenent, in lineâ aſcendente & deſcendente extra litem eſſe, quòd & pares prohibiti ſint gradus, id quod & ob paritatem rationis de lineâ collaterali dicendum veniat. Quæ enim ratio Legiſlatorem moverit ad hanc perſonam prohibendam, eandem & militare contra alteram in ſimili gradu, licet non expreſſam. Sed regerunt, qui putant, perſonas ſaltem expreſſas Lev. XVIII. prohibitas eſſe, primò, omnes iſtas prohibitiones matrimoniales Lev. XVIII. occurrentes eſſe ſaltem exceptiones à regulâ, quæ nuptias cum quavis permittat. Jam cùm exceptiones firment regulam in caſibus non exceptis, ſub iſtâ regulâ contineri omnes nuptias, quæ ſpecificè haud excipiantur. Reponunt ſecundò, paritatem rationis in his, quæ juris poſitivi ſint & ex arbitrio Legiſlatoris pendeant, non ſemper operari, nec eſſe fundamen-

tum

tum irrefragabile interpretationis extenſivæ, quæ & eapropter, quod tertio loco monent, hìc non valeat, quia odioſorum, qualia ſunt & prohibitiones, ſtrictior & benignior debeat eſſe interpretatio, uti egregié Bonifacius VIII. Pontifex cap. 15. & 49. de regulis Juris in 6. & Imperator I. §. 8. de J. N. & G. ff. l. 2. 19. de lib. & poſth. hær. l. 3. de his, quæ in teſt. del. & l. 32. 42. de pœnis alibique. Conferri poſſunt Barboſa L. 3. C. 16. axiom. 5. L. 14. C. 120. ax. 4. L. 16. C. 7. ax. 13. lim. 1. Grotius de jure belli & pacis L. 2. C. 16. §. 8. 12. 20. ſqq. Pufendorffius de jure naturæ & gentium L. 5. C. 12. §. 10. 12. 13. 17. 19. 21. 22. & de officio hominis & civis L. 1. C. 17. §. 8. ſqq. itemque Harpprechtus in Conſil. Tubing. Vol. I. Conſ. 24. f. 482. n. 110. Etſi enim regula illa multis utique exceptionibus & limitationibus obnoxia ſit, uti videre eſt apud Thomaſium in diſſ. de nævis Jurispr. Rom. coroll. 3. 4. in Jurispr. div. Lib. 12. C. 12. n. 160. ſqq. p. 364. ſqq. & in append. contra Placcium p. 372. ſqq. itemque in der Ausübung der Vernunfft-Lehre C. 3. §. 116. ſqq. p. 210. ſqq. Titium & Barbeyracium ad Pufendorffii l. c. Hornium in prælect. de interpretatione juridicâ C. 3. 4. Kemmerichium in acceſſ. inſtitut. juris civilis tit. 12. p. 135. ſqq. Pellerum in diſſ. de interpretatione legum politicâ C. I. §. 12. 13. p. 24. ſqq. & Wölkerum in diſſ. de privilegiis odioſis & pœnalibus C. 5. §. 2. p. 61. exceptiones tamen iſtas & limitationes noſtram quæſtionem non ferire, ubi ratio prohibitionum generalis nec unica ſit, uti vel ex ſolo comm. 18. pateat, & ob rationes ſpeciales neceſſariò reſtringenda veniat, imo ab ipſo ſummo Legislatore reſtricta fuerit. Jam enim contendunt quartò, rationes exſtare, ob quas nuptiæ in pari gradu mox prohibitæ fuerint, mox conceſſæ. Ita nuptias Leviri cum Fratriâ, ex quâ Frater liberos ſuſcepit, eſſe vetitas, quia noluerit Deus, ut duo fratres in unius mulieris uterum ſemen effunderent, ſed eſſe licitas in ſimili gradu cum uxoris defunctæ ſorore, ubi ratio iſta ceſſet, ſic eaſdem nuptias Leviri cum fratriâ, ſi frater liberos ex ea ſuſcepiſſet, prohibuiſſe Deum in favorem liberorum prioris matrimonii, ne illi parte hæreditatis paternæ per liberos ſuccedaneos defraudarentur, & ne duo primogeniti ex duobus fratribus concurrentes in rixas & contentiones dilaberentur, fratre autem defuncto ἀτέκνῳ, ceſſantibus prohibitionis rationibus ceſſaviſſe

pro-

prohibitionem ipſam, imo ad conſervanda bona in familiâ Levirum cum fratris defuncti viduâ, niſi infamiæ notam incurrere maluerit, matrimonium contrahere debuiſſe Deut. XXV. 5. ſqq. non obſtante ratione iſtâ ex *carne carnis* Lev. XVIII. 6. prohibitâ depromtâ, ex quo ipſo pateat, illam per alias rationes politicas & œconomicas in caſibus non expreſſis utique infringi & limitari poſſe. Ita & prohiberi Patrui viduam, ſed non Avunculi, quoniam Patrui uxor per conjugium ex alienâ eandem cum Patre familiam, Avunculi vero uxor per conjugium familiam diverſam à Patris familiâ intraverit, adeoque reſpectus & honor maternus illi haud debeatur. Ita & conjugium eſſe prohibitum cum amitâ & materterâ ob eundem reſpectum, ſed non prohibitum, cauſa hac exulante, cum nepte ex fratre & ſorore, quia hæc patruo vel avunculo ſubjici poſſit, ut uxor, ſecus mihi matertera vel amita, quibus reſpectum parentelæ debeo, & quæ, ut mihi ſubjiciantur, haud convenit. Ita porro conjugium cum Patrui viduâ prohibitum eſſe, quia non conveniat, ut mares, ſanguine juncti in ejusdem fœminæ uterum ſemen immittant, ſed conceſſum cum nepte ex fratre vel ſorore, ubi hæc ratio ceſſet. Certè nullam exſtare prohibitionem divinam, ubi caſus ſit inverſus, & reſpectus parentelæ exulet, etſi ratio à *carne carnis* prohibitâ ducta ubique militet. Unde & quintò ajunt, ipſum Legislatorem Divinum prohibitionem iſtam generalem ad perſonas ſequentes expreſſas accommodaſſe & reſtrinxiſſe, imo & quoad has feciſſe exceptiones, ut oſtenderet, nolle ſe, ut prohibitio iſta generalis in omni generalitate ſua valeat. Sic, licet nuptiæ Leviri cum fratriâ ſint prohibitæ, injungi tamen illas, fratre ſine liberis mortuo, licet hujus vidua haud ceſſet eſſe Leviri *carnis caro*. Id quod eò magis mirum videri poſſit, quia hoc leviratûs jus & apud Ægyptios olim viguit teſte Imp. Zenone l. 8. cod. de inceſtis & inutilibus nuptiis, obſervantibus Marſhamo in canone Chronico p. 173. & Witſio in Ægyptiacis L. 1. C. 5. §. 8. p. 20. cùm tamen leges ſuas matrimoniales Ægyptiis oppoſuerit Deus Lev. XVIII. 3. Ita & licitas eſſe nuptias cum defunctæ uxoris ſorore juxta comma 18. niſi quidem ad eludendum argumentum à caſu excepto regulam in caſibus non exceptis firmante depromtum vel vocem אחות per *alteram* vertas, atque cum Sadducæis, Karæis, Beza, Hafenreffero, Harpprechto, Tarnovio,

Have-

Havemanno, Carpzovio, Calovio, Scherzero, Riveto, Coccejo, Meyero, Marckio, aliis polygamiam heic prohibitam censeas, licet & Polygamiæ defensores ex hoc ipso textu argumentum forment, quia saltem uxoris soror sit prohibita, vivente uxore, non alia, quæ soror non esset, ita arguente Theophilo Alethæo l. c. th. 68. p. 369. Daphnæo Arcuario l. c. P. 3. C. 1. §. 6. p. 116. & Willenbergio l. c. C. 2. §. 3. p. 13. vel putes, tantam esse vim Athnachi sub חקח, ut sensus sit: *uxoris sororem nunquam ducito, nedum ad affligendam illam, in vitâ ejus*, vel existimes, בח״ה *in vitâ ejus* referendum esse non ad uxorem sed ad sororem & significare idem, quod *nunquam*, vel etiam ajas; clausulam *ad affligendam eam in vita ejus* non esse *restrictivam* sed *exaggerativam*, unde, cessante licet unâ ratione, tamen, cùm altera prohibitionis causa non cesset, à primo affinitatis gradu prohibito quæ desumta sit, ita enim nuptiæ Leviri cum fratriâ prohibitæ sunt, ex eo, quod conjugium prohibitum sit cum uxoris viventis sorore, non sequi, ergo id licitum esse, illâ mortuâ, uti e. g. ex eo, quod Prov. XXIII. 22. dicitur, *ne contemnas matrem tuam in senectute*, non sequatur, ergo licet eam contemnere, ubi nondum consenuit, item ex eo, quod Eccles. XII. 1. dicitur: *memento Creatoris tui in juventute tuâ*, non sequatur, ergo licet ejus non meminisse in senectute, & ex eo, quando dicitur: *ne fureris patre tuo vivo ad affligendum illum*, non sequatur, ergo licet furari post mortem ejus. Conferri hîc possunt primò quidem Basilii M. ad Diodorum Tarsensem (hi enim ambo disputationis hoc de argumento serram reciprocavere, totam controversiam fusè enarrante Arcudio in capite supra p. 11. citato) epistola, dein Hoffmanni, Grotii, Bucholzii, Havemanni, Strauchii, Wagenseilii, Blountii, Ittigii aliorumque hanc in rem scripta, Oettingensia quoque, dissertationes Brückneri, Niemejeri aliorumque, scripta Gœzii & Kettneri hùc spectantia, uti & Buddeus in Instit. Theol. mor. P. 2. c. 3. sect. 6. §. 13. in notâ ultimâ p. 564. ubi putat, Deum has nuptias licet primæ institutioni divinæ & fundamentis legum matrimonialium adversas tamen hâc lege concessisse Judæis ex conniventia, uti polygamiam & divortia. Addunt sexto & hoc, si prohibitiones istæ non saltem personas, sed & similes gradus tangant, nullam adparere rationem, cur sapientissimus Legislator prohibeat nuptias cùm distin-

ctis personis ejusdem gradus, hinc enim tautologiam emersuram, quæ sine crimine ipsi imputari nequeat, nisi quidem causeris, fieri hoc ad eò clariorem rei declarationem per exempla, quæ in eodem casu sine vitio ταυτολογίας plura afferri, imò & cumulari possint. Ita e. g. concupiscentiam pravam in Decalogo præcepto 9. & 10. prohiberi, quæ jam implicitè prohibita fuerit præcepto 5. & sqq. Aliudque longe esse ταυτολογίαν, de quâ videndum Klausingii specimen vindiciarum S. Codicis à ταυτολογίας criminatione. Adjiciunt septimò, prorsus impropriam esse phrasin *de carne carnis*, adeoque nec premi posse. Licet enim *partus*, *antequam edâtur*, *mulieris portio sit*, *vel viscerum*, tamen post *editum* illum hoc verum non esse, vi l. 1. §. 1. ff. de inspiciendo ventre, uti & fructus saltem tàm diu pars *fundi* sint, *quàm diu fundo cohærent*, post separationem autem tanquam separatum quid considerentur, §. 36. I. de rerum divisione & l. 61. §. 8. ff. de furtis. Id quod eò fortius stringat, quòd maritus, relictis parentibus, adglutinetur uxori Gen. II. 24. Respondent octavò, si hæc prohibitio *de non appropinquando ad carnem carnis* omnes nuptias prohibitas sub se comprehendat, non fore illicitas nuptias cum patrui viduâ, in lege licet expresse prohibitas. Cum enim Patrui mei vidua sit Patris mei *carnis caro*, mihi sane talis esse non poterit, sed erit *carnis meæ* h. e. patris mei *carnis* h. e. fratris ipsius *caro*, quæ per consequens vi hujus regulæ non est prohibita. Miror, hoc non observatum fuisse Niemejero in diss. luculentâ de Conjugio cum Patrui uxore, quæ est V. in dissertationibus de conjugiis prohibitis. Ita porro permittendas esse ajunt nuptias cum prosocru, cum soceri viduâ, cum nurûs, cum privignæ filiâ, quæ tamen prohibitæ censentur aliâs, licet non sint *caro carnis meæ*, sed *carnis* meæ *carnis caro*, & affinis meæ consanguineæ non sint meæ affines, qui canon non, ubi linea ascendit & descendit, sed transversim saltem & ad latus currit, sic valeat, ubi utique nuptiæ licitæ sunt inter duos fratres & duas sorores. Unde & nonò pateat, omnes ista personas supra *ad carnem carnis* relatas hùc non pertinere, illique malè substerni. Si verò substernantur omnes, conjugium etiam prohibitum fore in secundo affinitatis genere, quod tamen veram affinitatem haud dicat, nimiasque & prohibitiones alias emersuras, queis nemo ferè calculum adsperserit, uti e. g. & conjugii comprivignorum,

rum, si noverca patri pariat, supra jam tacti. Denique decimo ajunt, utique in lineà rectâ prohibitionem vadere in infinitum, sed probè notandum hìc esse, quod vi linguæ sanctæ pater & mater supponant pro omnibus ascendentibus, & filius & filia pro omnibus descendentibus. Vide Niemejerum in diss. 2. de Conjugiis prohibitis §. 19. & cel. Zeltnerum in diss. de genuino conjugiorum prohibitorum fundamento p. 52. Nec à lineâ rectâ ad collateralem valere consequentiam, cum in lineâ rectâ matrimonia jure naturæ prohibita sint in infinitum, quod tamen in linea collaterali falsissimum sit. Inæqualitatem igitur esse manifestam & eandem rationem utique stringere in prohibitionibus Juris naturæ, non verò positivi. Quicquid vero de hisce responsionibus sit, quæ *conjunctæ* quidem sed non *singulæ* stringere videntur, cùm, uti patet, causa in utramque partem sit disputabilis, nemoque sit in his terris, qui interpretationem legis authenticam dare valeat, nil restat, quam ut dicamus, ad tranquillandas conscientias scrupulosas satius esse, in casu dubio tutiorem eligere partem, quæ pro similibus gradibus prohibitis pugnat. Nimium quippe hìc in vitium haud vertitur, nec nocent superflua. Concurrunt hìc id, quod probabile est ratione tutioris & ratione argumentorum fortiorum ex textu sacro petitorum. Ubi, quid, re adhùc integrâ, rectè agatur, facile patet, sed quid, re non ampliùs integrâ agendum, & num ejusmodi conjugia toleranda aut rescindenda sint, difficilior quæstio est. Heic enim Magistratui Politico determinandum erit, quid tutius sit, solvere matrimonium, quod ratum vel simul quoque legitimum esse possit, & sic incautè ansam præbere adulterio, vel tolerare matrimonium, quod irritum in se & illegitimum esse possit. Id quod etiam ad quæstionem supra de legibus hisce matrimonialibus, num & ex parte forenses sint, evolutam suo jure quadrat, licet, istâ affirmativè decisâ, momentum posterioris hujus quæstionis mox in totum pereat. Cæterum eadem hæc controversia de personis saltem Lev. XVIII. an etiam paribus gradibus prohibitis & inter Judæos fuit agitata, Talmudicis prius, posterius Karæis defendentibus. Vide Seldeni uxorem Ebraicam L. I. C. I. sqq. & Meyeri uxorem Christianam in diss. de gradibus prohibitis C. 9. sqq. p. 83. sqq. Quod restat, obiter saltem ad verba, quæ explicamus, notanda venit sententia Aharonis Haccohen, cujus Abenesra ad h. l. meminit. Ait is, textum

noſtrum de *propriâ* uniuscujusque *carne*, non de *alienâ* agere, dici enim *carnem carnis ſuæ*, adeoque prohiberi hîc peccatum mutum, quod aliâs mollities & crimen Onaniticum dicitur. Gen. XXXVIII. 9. Rom. I. 24. 1. Cor. VI. 19. Verba Abeneſræ ſunt: זרב אהרון הכהן אמר שפירושו להוציא שכבת זרע לבטלה: Sed falſam eſſe hanc ſententiam ex eo patet, quia שאר *caro* diverſæ perſonæ intelligitur comm. 12. 13. 17. & comma 6. per ſequentia explicatur, quia dicitur, כל־שאר *omnis caro*, quia nemo ad ſe ipſum appropinquat, & quia & illud peccatum longe aliis verbis aliâs in ſacris literis deſcribitur.

לא תקרבו] *ne appropinquetis.* Conſtruitur ſingularis cum plurali, caſus nominativus cum ſecunda perſona pluralis numeri. En enallagen numeri, enallagen caſûs. Eſt hæc non vitium ſed elegantia linguæ ſacræ. Niſi quidem cum Salomone ben Melech in Michlal Jophi ad h. l. putes, adhiberi pluralem ad comprehendendas & fœminas, id quod tamen ficulneum eſt. Confer Seldenum Ux. Ebr. L. 1. C. 5. p. 20. & Langii diſſ. de nuptiis prohibitis ad h. l. §. 16. p. 20. Vide & ſupra p. 8. Innuit autem verbum קרב *concubitum*, ut ſequentia docent, maximê comma 14. idemque eſt ac שכב & לקח Lev. XX. 11. ſqq. Alibi נגש dicitur Ex. XIX. 15. & בוא Gen. VI. 4. XVI. 2. XIX. 31. XXIX. 30. Jud. XV. 1. 2. Sam. XI. 4. XII. 24. itemque נגע Prov. VI. 29. Confer & Gen. XX. 4. Jeſ. VIII. 3. Ez. XVIII. 6. Pari ratione Græcè πλησιάζειν idem eſt, quod concumbere. Ita 2. Macc. VI. 4. ubi: ἐν τοῖς ἱεροῖς περιβόλοις γυναιξὶ πλησιαζόντων. *inter ſepta ſacra mulieribus appropinquantium* ſive cum illis concumbentium. Loca ex Scriptoribus Græcis adfert Gatakerus in diſſ. de novi Inſtrumenti ſtylo C. 11. Opp. T. 1. f. 78. b. Judæi putant, voce קרב deſignari tantùm laſcivos amores, queis via ad concubitum ſternatur, qui poſterior demùm ſit *revelatio nuditatis*. Ita Elias ben Moſe, Karæus apud Meyerum de gradibus prohibitis C. 3. §. 8. p. 18. שהקריבה רמז למעשה הדודין והגלוי רמז אל השכיבה Ita & Abarbenel & R. Levi Barzelonita monent, Moſen hîc משמרת *ſepem* facere, & nimiam appropinquationem, cohabitationem & familiaritatem cum proximis conſanguineis & affinibus prohibere, ne vel tandem ipſe inceſtus hinc ſequatur. Unde & ipſa prava concupiſcentia antecedens hâc voce prohibita videri poſſit. Matth. V. 28. Vide Hottingeri Jus Ebræ-

orum

orum p. 278. 279. Hinc cel. Zeltnerus in diss. cit. C. 2. §. 2. p. 34. sqq. existimat, genuinam rationem conjugiorum prohibitorum hanc esse, quam & in ipsis hisce verbis innui putat, ut pronissima stuprorum & adulteriorum occasio, quæ aliâs ex familiari nimis consanguineorum & affinium convictu facile oriri possit, præcîdatur. Mireris, in hâc dissertatione Theologum eruditissimum sine ullâ heterodoxiæ formidine statuere, quòd leges matrimoniales Lev. XVIII. occurrentes, quæ non sunt naturales, merè forenses sint & Judæis saltem datæ, quòd & personæ saltem expressæ, non similes gradus hîc sint prohibiti. Nec movent sanè illum rationes ex repetitâ voce איש איש & ex voce תועבות, quæ aliâs & specialia nomina זמה *scelus* Lev. XVIII. 17. XX. 14. תבל *commixtionem* nefandam Lev. XVIII. 23. XX. 12. חסד *crimen* probrosum Lev. XX. 17. עון *iniquitatem* Lev. XVII. 25. XX. 17. 19. & נדה *fœditatem* Lev. XX. 21. sub se comprehendit, petitæ. Jam & idem Vir doctissimus, quod nunc demùm observamus, ubi in citatam ejus dissertationem incidimus, C. 1. §. 3. p. 8. id ipsum quoque urget, quod nos supra p. 7. 8. urgebamus, vocem כל *omnis* ex idiotismo linguæ sanctæ non *singula* simpliciter innuere sed crebrò restringi ad speciem, cui propriè competat.

לגלות ערוה] *ad revelandam nuditatem.* Vox ערוה, uti & voces מער & מעורים, quæ descendunt à radice ערה *nudatus fuit*, per ἀντίφρασιν designant id, quod illegitimè nudari sine turpitudine haud potest. Ita rectè Abenesra ad h. l. ערוה שם מגונה נחשף צריך להתכסות: *Est nomen turpitudinis denudatæ, quæ tegi debet.* Designantur itaque hâc voce membra genitalia corporis humani Gen. IX. 22. 23. Exod. XX. 23. 1. Sam. XX. 30. Jes. XX. 4. XLVII. 3. Ezech. XVI. 8. 36. 37. XXII. 10. XXIII. 10. 18. 29. Hos. II. 11. Nah. III. 5. Habac. II. 15. Thren. I. 8. quæ aliàs & dicuntur בשר ערוה *caro nuditatis* Ex. XXVIII. 42. vel בשר *caro* simpliciter. Deut. XXV. 11. Judæi voce עריות designant concubitum quemvis illicitum, maximè incestuosum. Hîc verò honesto verbo (vox enim obscœna שגל est, quæ cum שכב Deut. XXVIII. 30. Jes. XIII. 16. Jer. III. 2. Zach. XIII. 2. permutatur,) designatur concubitus sive legitimus sive fornicarius, φράσι ad utrumque spectante. Vide Fesselii adversaria sacra L. 2. C. 1.

Unde & ex concubitu incestuoso & fornicario uti consanguinitas, ita sanè & affinitas contrahitur. Amos II. 7. 1. Cor. VI. 16. Ut adeò miserè hîc peccet Marshamus in canone chronico, ubi p. 172. hæc habet: *Lex de uxoribus tantùm loquitur: neque est incestus, nisi ex matrimonio, non ex stupro seu adulterio.* Certè enim *φρόσις retegere nuditatem* generalissima est, ad stuprum & adulterium æquè ac ad matrimonium quadrans. Sed quid est quæso ערות דבר Deut. XXIV. 1. ubi de marito uxorem dimittente, quòd in ea *invenisset nuditatem rei.* Num & hîc concubitus illicitus cum alio adeóque incestus vel adulterium significatur, idemque adeò dicitur, quod Matth. V. 32. Christus dixit, uxorem dimitti posse ob λόγον πορνείας, *rem* aut *causam fornicationis?* Certè à Christo his verbis ad Deut. XXIV. 1. alludi haud absque fundamento statuisse videtur Buxtorffius in diss. de sponsalibus & divortiis p. 121. Ast non existimaverim ego, ערות דבר & λόγον πορνείας unum idemque esse. Primò enim non dicitur דבר ערוה, quod esse posset λόγος πορνείας, sed ערות דבר, quod Græci rectè verterunt ἄσχημον πρᾶγμα. Secundo pravæ Judæorum consuetudini in lege Mosaicâ notatæ & historicè saltem recensitæ sed non approbatæ & per meram conniventiam permissæ Christus effatum suum opponit Matth. XIX. 9. id quod jam antea fecerat Malachias Propheta II. 15. declarans, Deum divortia odio habere, ubi haud displicet versio Zepperi in explanatione legum Mosaicarum forensium L. 4. C. 17. p. 391. quæ hæc est: *nec ullus ita facit* sc. repudiat uxorem, *cui adhuc* שאר רוח *reliquiæ sunt conscientiæ. Et quomodo ullus hoc faceret, qui quærit semen Dei?* eandem sententiam tenente Lud. de Dieu ad h. l. p. 740. & ferè quoque Neunherzio in diss. ad h. l. Videantur, qui peculiares in h. l. dissertationes dedere vel saltem datâ operâ illum illustravere, Marckius, Köppenius, Grünenbergius, Reimius, Beheimius, Starckius, Gebhardi, adjunctis glossis nostris Germanicis ad h. l. Tertio, si adulterium hic voluisset significare Legislator Deut. XXIV. 1. consueta voce vel φρόσις illud specialius expressisset. Jam & quarto constat, adulterium in V. T. fuisse morte punitum. Vide Lev. XX. 10. Num. V. 21. 27. si quidem mortua ex aquis istis amaris fuerit adultera, quod probabile est, licet diffiteantur hoc Judæi in Talmude, Deut. XXII. 22. Joh. VIII. 5. Itaque ergo vox ערוה hîc in genere rem, sive physicè sive moraliter tur-

pem

pem ac fœdam ſignificat, uti & Deut. XXIII. 15. ſumitur. Itaque *nuditas* hîc *turpitudo* aut *fœditas* eſt, & *turpitudo rei* eſt *res turpis*. Inter duo enim ſubſtantiva, quorum unum in ſtatu regiminis eſt, prius vel poſterius rationem adjectivi habet. Vide Glaſſii Gramm. ſacram L. 3. tr. 1. can. 8. Unde ſecundum nos ערות דבר Deut. XXIV. 1. præciſè nec inceſtum nec adulterium, ſaltem non demonſtratum & publicum, ad quod verba iſta reſtringit Steph. Morinus in diſſ. 6. de divortiis p. 233. ſed obſcœnos, laſcivos aut turpes geſtus moreſque ſuſpectamque vitæ rationem, vel & alia vitia corporis & animi, gravia & turpia ſignificat, quæ & Schammæanæ apud Judæos ſcholæ olim fuit mens. Confer Aug. Calmeti diſſ. ſur le divorce, Comm. in Deuteron. præmiſſam. Alius itaque hic caſus eſt, ac ille, qui Num. V. 12. ſqq. de muliere Sota ſive adulterii ſuſpectâ occurrit, ubi zelo actus vir ex capite adulterii tantùm non probati, adeoque ex majore cauſa egit, quàm eſt ערות דבר, alius & caſus, qui Deut. XXII. 13. ſqq. habetur de Viro uxorem recens in torum admiſſam ob defectum virginitatis accuſante, ubi ſaltem ὡς ἐν παρέργῳ notamus, linteum ſanguine tinctum non admitti à ſapientiſſimo Legiſlatore tanquam ſignum recentiſſimè amiſſæ virginitatis certum & indubium, cùm nec ex ejus, lintei nempe ſanguine tincti defectu validè agere potuerit contra uxorem ex capite virginitatis corruptæ, multo minus adulterii adverſus ſponſum commiſſi maritus, ſed ſaltem, tanquam ſignum, quod legitimam præſumtionem pro eâdem creet, & contra quod nonniſi argumenta maximi roboris, demonſtrativa illa, admitti debeant, ut adeo non opus ſit, ad ſalvandam hanc legem ad miraculum hîc recurrere cum Brücknero l. c. C. 20. de divortio propter errorem circa virginitatem, n. 16. p. 128. 129. maximè cùm olim apud Judæos hoc virginitatis ſignum certius eſſe potuerit, ac alias Gentes ſecundum Gerhardum de Conjugio §. 114. 115. & Pfeifferum in dub. vex. ad h. l. Etſi autem Schola Schammæana, cui & Karæi deinceps calculum ſuum adjecere, uti notant Triglandius de Sectâ Karæorum C. 7. p. 99. 100. & Meyerus in diſſ. de repudiis & divortiis uxori Chriſtianæ annexá p. 136. 137. hîc peccaverit, quòd divortia & extra caſum adulterii legitima declaravit, quod neſcio, cur, Gemarâ expreſſe contradicente, negent Altingius Opp. T. 2. in parall. vatic. V. T. in N. cit. f. 19. Baſnagius dans l' hiſtoire des Juifs L. 6. C. 23. §. 14. p. 525.

p. 525. Wolffius in Curis ad Matth. V. 32. p. 103. & Thomaſius de crimine Bigamiæ. §. 38. 39. cum Veſperis Groninganis p. 176. 177. cùm & conſtet, in Maſſ. כתובות C. 7. plures allegari cauſas divortii legales, ad quas ſanè & adulterium pertinet, ob quas idem vel injunctum vel ſaltem permiſſum à lege fuit, & Schammæanis & Hillelianis hîc conſentientibus, qui de cauſis divortii privatis ſaltem inter ſe diſceptavere, quam in rem conferri poteſt Seldeni Uxor Ebr. L. 3. C. 17. 21. magis tamen peccavit Schola Hilleliana, quæ ob quodcunque vitium, quemcunque defectum divortium fieri permiſit, atque & ipſa ad Deut. XXIV. 1. provocavit, ſed interpolans verba, quaſi exſtaret ibi ערוה או דבר *turpitudo vel res* quædam alia, diſplicentiam quæ creare poſſet, adeoque πᾶσα ἀἰτία Matth. XIX. 3. maxime autem peccavit R. Akiba, qui hanc divortii rationem ſufficere edixit, ſi ſaltem uxor *gratiam haud invenerit in oculis mariti* comm. 1. & alia magis placeat. Vide Seldenum l. c. L. 3. C. 20. 21. Buxtorffium l. c. p. 88. Hoornbeekium de convertendis Judæis L. 7. C. 6. p. 520. ſqq. Meyerum l. c. p. 134. ſqq. & Marckium in Sylloge diſſ. V. T. Exerc. 15. Diſplicet ergò nobis ſententia & Lightfooti, qui putat, per ערות דבר adulterium ſignificari, & Spenceri de leg. Hebr. ritual. L. 3. ſect. 5. p. 21. itemque Zepperi l. c. p. 390. qui contendunt, Moſen κατὰ πᾶσαν ἀἰτίαν, *ob quamvis cauſam* divortia permiſiſſe. Sed diſplicet & ſententia Grotii, qui Matth. V. 32. XIX. 9. exemplum ſaltem cauſæ divortii legitimæ proponi à Chriſto exiſtimavit, illorumque, qui per λόγον πορνείας Matth. V. 32. *rationem* adulterio ſimilem intelligunt, uti Brochmandus in loco de Conjugio C. 4. Quæſt. 55. & Hemmingius apud Dedekennum Conſ. Vol. 3. f. 316. aliique, etſi certum ſit, τὸ παρεκτὸς & εἰ μὴ Matth. V. 32. XIX. 9. non cauſas majores & æquales, haud quidem reſpectu Legis divinæ ſed vinculi matrimonialis tales, ſed minores ſaltem & πᾶσαν ἀἰτίαν excludere, diſplicet & mens Seldeni l. c. L. 3. C. 23. qui poſt Auguſtinum vocem πορνείας latiſſimo ſenſu heic accipi putat, uti & Prücknerus l. c. P. 2. C. 17. n. 5. ſqq. p. 27. qui quodvis ferè delictum eâ innui exiſtimat, aſſentiente non quidem ill. Bœhmero, ſed potius Kayſero in diſſ. cit. C. 3. §. 12. p. 49. licet vox πορνεία & inceſtum & ſcortationem & adulterium & promiſcuam venerem aliaque carnis delicta, imò & idololatriam aliâs denotet.

Vide

Vide diſſ. noſtram de abrogatione legis ceremon. p. 43. 49. 50. & adde Meyerum l. c. p. 133. ſqq. Quod reſtat, cùm ערוה per *turpitudinem* hîc vertat Vulgatus, malè hinc arguit Bellarminus de matrimonii ſacramento L. 1. C. 5. col. 1300. ipſi actui conjugali turpitudinem quandam ineſſe, quia per *revelationem turpitudinis* deſcribatur, provocans inſimul ad 1. Sam. XXI. 4. 5. Jeſ. LII. 11. Rom. VIII. 8. 1. Cor. VII. 34. Apoc. XIV. 4. Aſt licet ערוה Deut. XXIII. 15. XXIV. 1. *fœditatem* ſignificet, in noſtro tamen loco *nuditatem* dicit. Vide Prückneri vindicias Biblicas ad h. l. Et, quî ſacramentum à Deo inſtitutum turpitudinem ſecum vehere poſſit, concipi haud poteſt. Non cohærent hæc principia. Ita Hackſpanius in notis Philologico-Theologicis ad h. l. P. 1. p. 430. Denique poſito, notionem turpitudinis & hîc valere, ſermo eſt de inceſtu non committendo, qui per ſe turpis eſt, non de matrimonio legitimo. Ἡ αἰσχύνη enim τῆς γυμνότητος demùm per laſciviam ſe exerit. Alia eſt nuditas innocentiæ, alia ignominiæ. Gen. II. 25. III. 7.

אני יהוה] *Ego* ſum *Deus*. Ellipſis verbi ſubſtantivi Hebræis familiaris. Nota, clauſulam hanc, quâ Deus ut Dominus & Rex Judæorum ſpecialis atque Θεοκράτωρ Ex. XX. 2. Lev. XX. 24. 26. Deut. XXVI. 17. 18. & ut *Deus exercituum* vel tribuum Iſraëlis, (hâc enim ex phraſi Theocratiam populi Iſraëlitici deducit quoque Spencerus l. c. L. 1. C. 1. ſect. 2. p. 179. 180.) hoc prohibet, non arguere, prohibitiones Lev. XVIII. contentas omnes eſſe juris naturalis divini, vel ſaltem poſitivi univerſalis. Vide ſupra p. 4. Quod dum dicimus, addenda nobis circa hanc quæſtionem eſt obſervatio Marſhami in canone chronico p. 172. ingenioſa ſanè. Ait is, Lev. XVIII. interdici & Ægyptiorum & Cananæorum perverſas conſuetudines, quod legis præfatio comm. 3. indicet: *ne faciatis juxta factum terræ Ægypti, in quâ habitâſtis*, quæ verba priorem legis partem uſque ad comma 19. ſpectent, *neque juxta factum regionis Canaan, in quam ego vos introduco*, id quod ad poſteriorem legis partem pertineat, quâ Molochi ſacrificia, adulteria, pæderaſtia & beſtiarum concubitus interdicatur. Quod ſi ita eſt, vox *omnis* comm. 24. ſqq. prorſus reſtringenda ad verſus proximè antecedentes veniet. Nec nihili ſanè hæc obſervatio eſt, cùm Cananææ quidem genti pœna exterminii fuerit irrogata, non Ægyptiacæ. Unde &

 ſunt,

ſunt, qui *factum Ægypti*, de quo comm. 3. agitur, ad caput præcedens Lev. XVII. referunt, Elias ben Moſe & Abarbenel, quos tamen refutat Meyerus de grad. prohib. L. 1. §. 6. ſqq p. 4. 5. Aſt Cananæos & ob inceſtus commiſſos fuiſſe punitos patet ex Lev. XX. 22. 23. collatis verſibus immediatè præcedentibus. Commodè in calamum heic labitur & alia obſervatio, quæ neceſſaria nobis videtur ad illuſtranda illa, quæ ſupra p. 2. 3. diximus de Judæis, quòd legibus matrimonialibus Lev. XVIII. ſcriptis & gentes obligari exiſtiment. Opinio hæc Doctorum Judaicorum univerſalis non eſt. Ita enim R. Akiba & R. Jochanan ſentiunt, *de omni inceſtu, ob quem pœna mortis à Deo inflicta ſit* Lev. XX. 11. ſqq. *admoneri gentiles, de inceſtu verò, cui pœna mortis ibi non irrogetur, eosdem non admoneri*, quæ eadem Maimonidis ſententia eſt. Vide Seldenum loco ſupra p. 2. citato, maximè & Meyerum in reſponſo ad quæſtionem matrimonialem, an viduæ licitum ſit nubere defuncti mariti ſororis filio, ſeu an Vir avunculi ſui viduam ducere poſſit? §. 16. p. 15. Ut taceam horrendam illam, quam de proſelytis ſuis fovent Judæi in Talmude, ſententiam. Tradunt quippe, cùm virtute proſelytiſmi prior omnis cognatio gentilis evaneſcat, ejuſmodi proſelyto fas eſſe cum matre, cum filiâ, cum ſorore ſe commiſcere; eam ipſam ob cauſam, quia vetus evanuerit cognatio, imò fas hoc eſſe, ſi eodem tempore & illæ ad Eccleſiam Judaicam tranſeant, ita & proſelyto ante proſelytiſmum patris concepto licere ducere ſororem in proſelytiſmo natam, etſi & ille in tali natus eſſet. Quo de argumento fuſè agit Maimonides in איסורי ביאה ſive de coitu prohibito C. 14. Vide Seldenum de J. N. & G. ſec. diſc. Ebr. L. 5. C. 17. 18. Juriæum dans l' hiſtoire critique des dogmes & des cultes des Juifs P. 1. Ch. 20. p. 153. ſqq. qui idem & leges matrimoniales Lev. XVIII. quæ naturales haud ſunt, merè Judaicas eſſe putat p. 156. ſqq. & Baſnagium l. c. L. 6. Ch. 7. §. 1. p. 137. 138. Addere & hoc liceat ad ultima hæc textûs, quem explicamus, verba. Scribit Thomaſius in Juriſpr. div. L. 3. C. 2. §. 235. clauſulam hanc: *Ego ſum Deus*, Deum legibus hiſce matrimonialibus eapropter adjeciſſe, *quòd omnium iſtarum prohibitionum haud inveſtiganda ſit alia ratio, quàm voluntas* & liberum arbitrium *prohibentis Dei.* Jam verò Deus hâc clauſulâ non ſaltem oſtendit, quænam cauſa datæ legis ſit, divina quippe ſanctitas, quæ heic exemplo nobis eſſe debeat Lev. XI. 44. 45. XIX. 2. ſed &, quânam autoritate, divinâ nempe, leges hæ fulciantur, contra tranſgreſſores graviſſimis pœnis vindicandæ. Exod. XX. 5. 6. Lev. XVIII. 24. ſqq. XX. 11. ſqq. Deut. XXVII. 20. ſqq. Ita & errat Langius, cùm in diſſ. cit. §. 22. p. 24. putat, clauſulam hanc eſſe ſignum legum naturalium in hoc capite traditarum, maximè cùm & ipſe omnes has leges haud cenſeat eſſe naturales. Ita denique & hallucinatur Meyerus, qui l. c. C. 3. §. 12. p. 21. ait, hanc clauſulam nulli legi ſpeciali adjectam legi. Vide ſaltem ſupra p. 4.